





minos aliquid dissimulare de jure, ne aliquid denegare videretur his, quos diligebat.

22. Tamen aliter Respondeo: Potestatem conferendi sedes expetitas, ac postulas, quodammodo à se ablegat, ut ambitum discipulorum ac eorum importunas instantias de primatu coërceat; & ut ita honesto, ac composito modo eos à se repellat; nam si Dominus quacunq; ratione, ac modo se excusasset ad postulatam primatum concedendum, ab ambizioso affectu minimè desisterent, & importunas instantias, ac replicas protulissent; & ideo petita electionis autoritatem penes patrem esse alleverat, ut ita hi discipuli quiescant, ne ultra importunè procedant; qui enim ambitione tangantur, nulli rationi superfedent, sed semper nova machinantur ad optata obtinenda.

23. Incredibili ambitione omnes in populo affectabant suam sacerdotium, & ob hanc causam impie obmurmurantes Coe, Dathan, & Abiron, inaudita pœ à aperiens terra os suum eos vivos deglutivit, ac sepelivit cum omnibus suis familiis, frustra magno clamore per eos excitato. Tunc Deus mandat Moysi, ut ex singulis tribubus eigeret singulas virgas, & quem ex his elegerit, germinabit virga ejus, & cohibebo à me querimonias filiorum Israël, quibus contra vos murmurant. Num. 17. n. 5. Quod cum fecisset Moyses, sequenti die invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi, & surgentibus gemmis eruperant flores: qui solius dilatatis in amygdalas deformati sunt. Ibid. n. 8. In quo quatuor miracula apparuerunt. Germinavit virga, dedit folia; flores, & fructus, ut notant Cardin. Hugo, ad quid, & tanta? ut eligatur Aaron summus Sacerdos. Nonne fat erat Dei verbum, ipsum eligens, ac designans? & insuper supplicium contra ejus calumniatores nunquam visum, nec auditum; & etiam præclara Aaronis merita ob ejus probitatem; & etiam apud omnes valde no um erat, quantum ipse laboraverat contra Pharaonem pro educendo populo de Ægypto. Ad quid insuper tot miracula ad ejus electionem? Omnes summum Sacerdotium anhelabant ob ejus eximium honorem, ac magnos proventus; sic enim pertinaciter obstinatus est ambitionis, ac invidia affectus, ut ad illius im-

Importunas ambitionis instantias declinat Dominus.

23.

Num. 17.

Hugo.

Multa necessaria ad querimonias & instantias ambitionis evitandas.

portunas instantias, supplicationes, ac querimonias reprimendas, ut nec videatur sufficere Dei verbum, pœna ante oculos posita, merita evidenter cognita, nec unum, vel alterum miraculum, sed plura, & plura necesse sit interponi, ut tam inordinatus ambitionis aculeus cohibeatur. Abulensis ibi, q. 1. ait: Erat Sacerdotium magna dignitas, & redditus abundantissimi, ideo quilibet desiderabat habere illud; & ideo ut Deus tolleretur eis occasionem istam, murmurandi scilicet, voluit dare experimentum de virga flore, & quod ista sit intentio, patet infra, cum dicitur, cohibebo à me querimonias filiorum Israël.

Abulens.

24.

Maximo odio, ac invidia excitabantur Principes, & Satrapæ Babylonii, eo quod Daniel eos præcederet Sapientia, & Prudentia, & amicitia, & familiaritate cum Rege Dario, ideo quodam crimine fabricato, ac composito ipsum accusant apud Regem, ut Daniel mitteretur in lacum leonum, Rex autem pro Daniele posuit cor, ut liberaret eum, & usque ad occasum Solis laborabat, ut erueret illum. Daniel. 5. n. 14.

Daniel. 6.

Toto die stetit Rex potentissimus, pro Daniele causam agens, multis rationibus, & argumentis productis pro Daniele, interpretans tuum decretum, & Danielem excusans, ut ait Lyranus tamen eorum importunis instantiis, ac objectionibus Rex cedens, tradidit Danielem ad mortem, dicens: Deus cuius quem colis, semper ipse te liberabit, ibid. n. 16. Valde mirum, quod nec innocentia Danielis manifesta, nec ratio evidens eum excusans ab omni crimine, nec Regis potentissimi voluntas tam aperte nota, quam alicui maxime venerantur, ac sequuntur, non valent aliquid pro Daniele proficere. Movebantur Satrapæ odio, invidia & ambitione contra Danielem, & ideo nec ejus innocentia, nec ratio illius causæ manifesta, nec efficacissima potentissimi Regis voluntas, valent depravatos animos compescere, nec eorum malevolas sine intermissione instantias reprimere; itaut nullum superstit refugium, nisi ad Dei omnipotentiam confugere, ut ab eorum manibus liberet, & eruat. Hidoras relatus in Glossa ait: Cedit multitudini, & adversariis consentientibus; quod ipse obtinere non potuit, potentia Dei committi.

Lyran.

Divina virtus requiritur ad evitandas ambitionis instantias.

Glossa.



CAPUT XXI.

1. T cum appropinquassent Jerosolymis: & venissent Bethphage ad montem Oliveti, tunc Jesus misit duos discipulos. 2. Dicens eis: Ire in Castellum quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: solvite, & adducite mihi. 3. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite: quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos. 4. Hoc autem factum est ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: 5. Dicite, filie Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, & sedens super asinam, & pullum filium subjugalis. 6. Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Jesus. 7. Et adduxerunt asinam, & pullum: & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. 8. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via; alii autem cædebant ramos de arboribus, & sternerant in via. 9. Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes, Hosanna filio David benedictus qui venit in nomine Domini: hosanna in altissimis. 10. Et cum intrasset Jerosolymam, commota

commota est universa civitas, dicens: Quis est hic? 11. Populi autem dicebant: Hic est Jesus propheta, à Nazaret Galilææ. 12. intravit Jesus in templum Dei, & eiciebat omnes vendentes, & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit. 13. Et dicit eis: Scriptum est, Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum. 14. Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo: & sanavit eos. 15. Videntes autem principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hosanna Filio David indignati sunt. 16. Et dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis, utique nunquam legistis: quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem? 17. Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique mansit. 18. Mane autem revertens in civitatem, esurivit. 19. Et videns ficum arborem unam secus viam, venit ad eam: & nihil invenit in ea, nisi folia tantum, & ait illi, nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum: & arefacta est continuo ficulnea. 20. Et videntes discipuli, mirati sunt dicentes, Quomodo continuo aruit? 21. Respondens autem Jesus, ait eis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facieris, sed etiam monti huic dixeritis: Tolle, & jactate in mare, fiet. 22. Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. 23. Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum, & seniores populi, dicentes: in qua potestate hæc facis? & quis tibi dedit hanc potestatem? 24. Respondens Jesus dixit eis, interrogabo vos & ego unum sermonem, quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hæc facio. 25. Baptismus Joannis unde erat, è caelo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter se, dicentes. 26. Si dixerimus è caelo, dicet nobis, quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, timeamus turbam. Omnes enim habebant Joannem sicut Prophetam. 27. Et respondentes Jesu, dixerunt nescimus. Ait illis & ipse, nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio. 28. Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios: & accedens, ad primum dixit: Fili, vade hodie, operare in vinea mea. 29. Ille autem respondens, ait: Nolo. Postea autem penitentiam motus, abiit. 30. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo domine, & non ivit. 31. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dixerunt ei, primus. Dixit illis Jesus. Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei. 32. Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ: & non credidistis ei; publicani autem, & meretrices crediderunt: vos autem videntes nec penitentiam habuistis postea, ut crederetis ei. 33. Aliam parabolam audite: Homo erat Paterfamilias qui plantavit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis: & peregrè profectus est. 34. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus. 35. Et agricolæ apprehensis servis suis, alium cæciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidaverunt. 36. Iterum misit alios servos plures prioribus: & fecerunt illis similiter. 37. Novissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum. 38. Agricola autem videntes filium, dixerunt intra se, hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus hereditatem ejus. 39. Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, & ceciderunt. 40. Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis? 41. Aiunt illi, malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis. 42. Dicit illis Jesus, nunquam legistis in scripturis, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. 43. Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus. 44. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum. 45. Et cum audissent principes sacerdotum, & Pharisæi parabolam ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret. 46. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniam sicut prophetam eum habebant.

ARGUMENTUM CUM Remissionibus.

Primo, Vers. 1. Christus in die Dominica Palmarum, ut Rex, ac verus Messias, in asina super sedens cum triumpho Jerusalem ingrediatur: quod est explicat. t. 4. c. 6. per quindecim quæstiones.

Secundo, Vers. 12. Ejicit vendentes, & ementes in templo, quod est explicatum tom. 2. in Evangelia, c. 2. & infra

rusalem ingrediatur: quod est explicat. t. 4. c. 6. per quindecim quæstiones.

Secundo, Vers. 12. Ejicit vendentes, & ementes in templo, quod est explicatum tom. 2. in Evangelia, c. 2. & infra

Sylveira in Evang. Tom. V. 1.

Q. Marc.